

sed etiam per se ipsam determinat, et movet ad agendum. Cum ergo Deus considerandus sit tamquam radix prima ipsius animæ, et omnium creaturarum, sicut anima per voluntatem elicit actum, et se movet, atque applicat ad agendum, ita eisdem lineis prima illa radix, et causa debet considerari, et ut influens in actum concurrente simul cum anima, et ut movens, et applicans ad agendum, si quidem: *In ipso vivimus, et movemur, et sumus*, ut dicitur Actorum xvii. Et cum movere sit reducere de potentia ad actum, motio, seu applicatio voluntatis erit reductio ejus de potentia ad actum, et sic est difficultas, an Deus moveat, et applicet voluntatem non solum objective excitando, et proponendo objectum, sicut facit intellectus, sed etiam effective immutando, et imprimendo intra voluntatem ut operetur, et transeat de potentia ad actum, sicut ipsa voluntas realiter, et effective se movet quoad exercitium.

XXIX. Non pertinet ista difficultas ad eam, quæ in materia de auxiliis agitata est his temporibus: an efficacia gratiæ, et auxiliorum consistat in reali illa, ac physica prædeterminatione, qua infallibiliter quidem ex parte Dei moventis, libere autem, et contingenter ex parte causæ motæ, et inclinatæ ad actum applicetur. De hac enim controversia apostolicæ sedis mandato silere in libris cautum est. Sed tamen aliud est si efficacia gratiæ, et auxiliorum divinorum in aliqua tali prædeterminatione, et impressione physica consistat: aliud, an revera causa prima ita operetur in omnibus causis, et in ipsa voluntate, quod eam moveat, et determinet. Bene enim stare potest, quod ita Deus operetur ex ratione generali causæ primæ, nec tamen in hoc consistat efficacia gratiæ, sed in ali-

quo alio nobis occulto. Nam ut dicit Augustinus in libro de prædeterminatione sanctorum: «Nimis gratia ista occulta est, gratiam vero esse, quis ambigat?» Et ideo prohibitio, quæ vetat nil tractare de hac quæstione in materia divinorum auxiliorum (id est, supernaturalium ordinis gratiæ) nihil nobis indicit de hac generalitate divinæ efficientiæ respectu voluntatis, abstrahendo ab omni divino, et supernaturali auxilio, vel naturali.

XXX. Dicimus ergo, quod Deus non solum objective, et excitative movet voluntatem per propositionem boni, sed etiam interiori imprimendo, et movendo per aliquam motionem, seu mutationem, quæ vocatur determinatio, seu applicatio physica, id est, realis et effectiva ad differentiam motionis moralis, quæ fit per allicientiam objecti, et propositionem, seu manifestationem illius. Et quia hæc motio, seu impulsio, et applicatio interior fit secundum inclinationem, et modum proprium, et connaturalem voluntatis, et non contra illum, ideo non tollit libertatem, seu modum operandi libere, sed illum conservat, et causat. Unde dicitur Psalm. cxviii: *Inclina cor meum in testimonia tua*: et Ezechielis xxxvi: *Faciam ut in justificationibus meis ambuletis*: et ad Philipp. ii: *Deus est qui operatur in nobis velle, et perficere*. Et de ipso modo compellendi orat Ecclesia in quadam oratione: «Et ad te nostras rebelles compelle propitius voluntates.» Quod desumptum videtur ex illo Lucæ xiv, ubi Dominus dixit servo: *Exi in vicos, et plateas et compelle intrare in domum meam*.

XXXI. Nec sufficit dicere, quod Deus dicitur sic compellere, et sic facere, et inclinare, et operari in nobis velle, non per realem efficientiam, sed per moralem motio-

nem, quatenus nos movet, vocat, et excitat per propositionem objecti; non autem ex nostræ voluntatis arbitrio ei respondemus, et consentimus, aut dissentimus.

XXXII. Nam contra est, tum, quia hoc commune est omni creaturæ, quæ potest objective representari, et movere mediante propositione intellectus ipsam voluntatem. Unde non habebit Deus specialem modum movendi, et immutandi voluntatem, nec specialem influxum super eam ad determinandum, et movendum illam, quam habent ipsa objecta, quæ ei proponit; et modus quo Deus ut prima causa voluntatem movent, non alius erit quam qui ab ipsorum objectorum bonitate, et allicientia accipi potest, cum tamen voluntas ipsa, quæ est formalis potentia, et anima, quæ est ejus radix, non moraliter, et objective tantum, sed realiter effective se determinant, et influant in effectum. In hac ergo efficientia, et influenza dependere debet a prima efficientia, et prima radice, quæ est Deus, et realiter ab ea moveri, et determinari, non solum objective, quia ubicumque datur efficientia physica creata, debet ab aliqua efficientia increata primæ causæ derivari, quia in quocumque motu, et actione major est dependentia a causa prima, quam a secunda, utpote a causa operante omnia. Tum etiam, quia D. Augustinum in libro de gratia Christi, capite x, ponit hunc movendi modum, quo Deus operaretur in nobis velle, scilicet per moralem motionem objecti, non solum ab extrinseco persuasore, aut prædicatore propositi, sed etiam per interiorem Dei illuminationem vocantis, et excitantis, nec tamen illam sufficere dicit ad confitendam gratiam Dei, quæ per subministrationem Spiritus intus operatur. Illam enim moralem, seu objectivam

illuminationem, etiam quæ intus fit a Deo, Pelagius non negabat, nec tamen veram gratiam fatebatur: «Nam operatur, dicebat ipse, ut refert Augustinus, Deus in nobis velle, quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, multorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, et præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est.» Et ante in capite septimo, refert eundem Pelagium dicere: «Quod adjuvat nos Deus per gratiam, dum nobis futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi, et ineffabili dono gratiæ cœlesti illuminat.» Quibus verbis Pelagius omnem motionem moralem, et objectivam complectebatur, non solum externam, sed internam; tum, quia generaliter omnem suasionem boni admittebat, et constat multa bona nobis interiori suaderi, quæ exterius non proponuntur; tum, quia illuminationem multiformi, et ineffabili dono gratiæ factam admittebat; hæc autem non potest esse nisi interna, quia externa non est ineffabile donum gratiæ illuminantis, sed aliquid commune, et ordinarium, quod omnes videmus, et audimus, ut cum audimus concionatorem, aut quemcumque proponentem res fidei, vel bonorum morum.

XXXIII. Denique ipse Augustinus libro de gratia, et libero arbitrio, capit. xxi, inquit: «Quod agit omnipotens Deus in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.» Et infra: «Satis, inquit, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocum-

que voluerit, sive ad bona, pro misericordia sua, sive ad mala, pro meritis eorum; iudicio utique sub aliquando aperto, aliquando occulto, semper tamen iusto. » Ubi non potest Augustinus loqui solum de operatione morali, quia loquitur de ea, quæ est propria Dei, et quam Deus ut omnipotens operatur in cordibus hominum. Moralis autem efficientia cum fiat mediante propositione objecti, non est propria Dei, nec omnipotentiam exigit, sed est commune omni bono, etiam creato. De quibus omnibus, et aliis locis Augustinus diffuse egimus secundo tomo, prima parte, disputatione tertia, et quinta.

XXXIV. Deducitur autem ratio hujus motionis effectivæ, et applicativæ Dei circa nostram voluntatem; tum propter indigentiam talis applicationis ad primum actum elicitedum a voluntate; tum propter ejus indifferentiam, et indeterminationem ad operandum hic et nunc. Ex ratione, et indigentia primi actus id deducitur, quia proprium voluntatis est se movere efficienter, et quasi impellere, et applicare ad efficiendum actum. Cum autem hoc fiat applicando, et movendo de uno actu ad alium, quia si voluntas movet, et applicat, aliquo actu movet (movere enim quoddam agere est; ergo et quædam actio) oportet quod si ad aliquem actum se applicat, et movet, sit illa applicatio, et motio per aliquem actum sic applicantem, et moventem, et procedentem de uno ad aliud: et ex alia parte non sit processus in infinitum in actibus, oportet devenire ad aliquem primum, ad quem voluntas non se moveat ex alio priori a se elicto, quia ille non datur, si quidem iste est primus omnium. Ergo oportet, quod si movetur, et applicatur ad illum, moveatur ex aliquo extrinseco applicante, et movente;

vel quod ita agat, et operetur, quod ab alio non moveatur, nec applicetur, quod tamen esse non potest, quia in illo actu voluntas operatur de novo, cum ante non operatur (ut si puer, vel dormiens, de novo incipiat operari) ergo operatur ut mota, et applicata de novo, non ut immota, seu immutata, quod enim agit sine ulla sui mutatione, et motu agit ut actus purus, non ut actus mixtus potentiæ, quia quod est in potentia ad agendum, indiget reduci de potentia ad actum, et hoc est mutari, seu moveri; quod vero non indiget reduci de potentia ad actum, vel non habet potentiam, neque actum, et sic est nihil; vel habet actum sine potentia, et sic est actus non mixtus potentiæ; si non mixtus, ergo purus. Quod si ad agendum illum primum actum voluntas movetur, et applicatur, oportet quod ab aliquo extrinseco moveatur, quia a se non potest moveri, et applicari, quia non habet alium actum, quo se moveat, et applicet, si quidem ille est primus; non potest autem se movere, et applicare de potentia ad actum nisi per aliquem actum, quia nihil movet nisi per aliquem actum: quod enim est in potentia, prout tale non movet, quia movere est reducere de potentia ad actum; et sic nihil movet nisi prout est in actu, quia movere est agere, neque movetur, nisi prout in potentia.

XXXV. Si ergo voluntas in primo actu non se movet, neque applicat ad agendum, et sic oportet, quod ab alio extra se, moveatur, illud extra se, vel est intellectus, et objectum ab intellectu propositum, vel est aliquod agens creatum, vel est Deus. Intellectus, et objectum propositum, non possunt sic movere, et sic applicare; tum, quia in presenti loquimur de applicante, et movente in genere causæ efficien-

tis, et quoad exercitium, in hac enim linea, et ordine moventium procedimus, quia videlicet voluntas se movet de uno actu ad alium motione applicativa, et quoad exercitium, et non potest procedere in infinitum; ergo debet sisti in aliquo extrinseco movente, et applicante, scilicet in eodem ordine, et linea moventis effective, et quoad exercitium. Intellectus autem, et objectum ab illo propositum movent quoad specificationem, et in genere causæ formalis; ergo impertinenter reducetur ad illum hæc applicatio, et motio in genere causæ efficientis et quoad exercitium. Similiter non potest reduci ad agens extrinsecum creatum, quia nulli agenti creato subicitur perfecte ipsa voluntas, sed potest illud respuere libertate sua. Quod si non posset respuere, sed illi omnino subiceretur, esset motus violentus, quia esset a principio extrinseco non se habente per modum generantis, quia voluntas a solo Deo creatur. Motus autem naturalis, ut opponitur violento, debet esse vel a principio intrinseco, vel a generante talem naturam, et idem est de motu libero, qui etiam opponitur violento. Quod autem est a principio extrinseco non generante, sed movente, passo non conferente vim, quia ex propria vi non se applicat, dicitur moveri violento.

XXXVI. Et præterea nullum est agens creatum, quod intra potentiam voluntatis illabi possit, et operari, atque immutare illam efficienter, sed soli Deo immediate subditur, et in manu ipsius sunt corda hominum, et ipse solus movet ea. Et hoc provenit ex universalissima capacitate voluntatis, quæ est infinita, et ad omne ens se extendens. Unde solum ab agente infinito, et universalissimo immutari potest, sicut et ipse intellectus a solo Deo potest lumen accipere, et species

infusas. Ex eo autem quod Deus est creator, et generans voluntatis, non violenter illam movet, licet efficienter applicet, et determinet, quia motus, qui est a proprio generante, et influente ipsum esse, non tollit quod sit motus ille naturalis, et non violentus; ergo neque quod sit voluntarius, quia tam natura, quam voluntas habent motus a principio intrinseco, et non pure moventur ab alio. Sed quia in hoc principio intrinseco habent dependentiam ab aliquo extrinseco tam in essendo, quam operando, eo quod creata sunt, oportet quod nec ratio naturalis motus, neque voluntarii ex eo tollatur, quoad influentiam in esse, aut motum, et applicationem recipiat a tali principio, a quo per se dependet etiam in hoc ipso quod naturalis motus sit, aut voluntarius, quia etiam rationes istæ ab alio sunt participatæ, et dependentes.

XXXVII. Ex secundo autem principio, scilicet ex indifferentia ad operandum deducitur, quod indiget voluntas principio extrinseco applicante, et determinante ipsam in linea, et ordine efficientis. Etenim non potest determinatus actus exire a potentia indeterminata, et suspensa. Voluntas autem ita est contingens, et indeterminata ex se propter suam libertatem, et universalissimam capacitatem, ut a nullo objecto (extra Deum clare visum, quia est summum, et purum bonum) quantumcumque cognito, et proposito determinari possit perfecte, et simpliciter, quia cognitio objecti solum trahit alliciendo, et tantum potest determinare, et movere quantum objectum ipsum, et non amplius; objectum autem non plene adæquat voluntatem, nisi sit summum, et universalissimum bonum clare visum. Non ergo sufficit determinare simpliciter, et absolute, licet afficiat, et determinet objecti-

ve, seu quantum est ex se, sed non adæquate, et ex omni parte. Ergo relinquit voluntatem adhuc indeterminatam, et in statu indifferenti, et suspensivo ad rejiciendum tale objectum, quia ultimate non determinat, et usque ad executionem. Ergo posito objecto potest etiam in sensu composito, illud voluntas rejicere, quod est non manere simpliciter determinatam, et ultimo. Debet ergo ab alio principio, præter ipsum objectum, determinari.

XXXVIII. Et non potest determinari tantum a se ipsa; tum, quia ista determinatio a se, debet esse a mediante aliquo actu, quo movet, et determinat se ipsam, et de illo actu rursus inquiram, a quo principio determinatur. Etsi est a se ipsa, erit per alium actum, et de illo actu rursus inquiram, quousque deveniamus ad actum qui determinetur a principio extrinseco, et non per alium actum voluntatis ipsa se determinet: per eumdemmet vero actum non potest se movere, et applicare, seu determinare ad ipsum, quia determinatio, seu applicatio ad eliciendum actum præcedit ipsum actum; non potest autem actus idem se ipsum præcedere, et movere, seu determinare voluntatem ad se, cum motio distingui debeat ab eo quod movet. Tum, quia voluntas magis indifferens, et potentialis est ex se, quam cum objecto, si quidem objectum comparatur ad voluntatem ut actualius, scilicet ut appetibile, et bonum attrahens ipsam voluntatem, quæ se habet ut appetitus, et in potentia ad appetibiles; ergo si objectum non sufficit determinare, et movere voluntatem quoad exercitium, et effective, etiam ipsa voluntas sua indifferentia non sufficet, quia magis potentialis, et indifferens est, et ab eo quod est in potentia et indifferentia prout sic non potest exire

aliquid actuale, et determinatum, sed prius debet reduci in actum. Ista autem reductio in actum non est per alium actum, quia loquimur de primo actu, ergo ab aliquo extrinseco actuante, et movente, non solum in genere causæ objectivæ, et specificæ, sed etiam in genere causæ efficientis, quia de tali movente quoad exercitium loquimur, eo quod objectum non sufficit determinare, et movere absolute, quia quodlibet objectum extra visionem beatificam non plene adimplet voluntatem; ergo indiget determinatione alia, quæ non sit ab objecto, et illa est ex parte efficientis, et quoad exercitium.

XXXIX. Denique, etsi daremus quod voluntas determinaretur ex se ad aliquod objectum, et ad aliquam speciem actus, verbi gratia ad amorem, potius quam ad odium, tamen cum possit plures actus in individuo elicere, et ad illos sit indifferens, et in potentia, oportet quod ab aliquo principio determinetur hic et nunc; nec est aliud principium quam Deus. Licet enim actus, ut determinetur in individuo dependeat a circumstantiis, tamen quia istæ circumstantiæ, etiam determinatione indigent, quia causæ creatæ sunt, et consequenter in potentia determinabiles, nec alias circumstantias, et causas creatas oportet pro illis ponere, ne sit processus in infinitum; ideo necesse est sistere in Deo, in cuius virtute causæ secundæ determinant, ut latius diximus quæstione xxii physicorum, articulo secundo, et tertio, et in libris de anima, quæstione xii.

XL. Nec tamen dici potest, quod per hanc determinationem ab extrinseco proveniente læditur libertas, et quod sic determinata non potest indifferentem operari, et determinationem illam rejicere, sed operabitur necessario, utpote per

dependentiam in operando ab alio extrinseco determinante.

XLI. Respondetur enim, quod libertas non potest lædi per dependentiam, et determinationem a suo proprio principio, quod est Deus, sed per talem dependentiam, et determinationem perficitur, et melioratur, quia in se est libertas cum potentialitate, et per reductionem ad purum actum, et dependentiam ab illo, non potest lædi, et deteriorari, quia quanto magis creatura est dependens a Deo, et conjuncta illi, tanto perfectior est, quia tanto potentialitas ejus magis est ad actualitatem redacta. Ergo determinatio illa a Deo proveniens est actualitas tollens rubiginem potentialitatis, non lædens jura libertatis. Et sic potest indifferentem operari posita illa determinatione, quia cum sit duplex indifferentia, suspensiva seu indeterminativa, quæ potentialis est, et dominativa seu potestativa, aut facultativa, quæ perfectionis est, primam tollit determinatio divina, non secundam. Et ideo sic determinata potest oppositum operari, et indifferentem operari potestate antecedenti, non consequenti, in sensu diviso, non composito, id est, quantum est ex modo operandi, et dominio quod habet, potest oppositum, sed quantum ad ipsam suspensionem, et indeterminatorem operandi non potest oppositum, quia suspensa non manet voluntas. Nec potest determinationem illam rejicere potestate consequente, ita ut oppositum actum cum illa componat, bene tamen potestate antecedente, ita quod nunquam utrumque jungat, sed tamen de se, et ex vi domini, et modi operandi potest eam rejicere. Et hoc est divisive posse oppositum facere et in sensu diviso, non copulative et in sensu composito. Unde licet operari oppositum determinationis,

et motionis divinæ sit impossibile, et chimæricum, et ad impossibile non relinquitur in nobis potentia in nullo sensu: tamen hoc eodem modo solvitur, quod operari de facto oppositum posita determinatione est impossibile impossibilitate consequente, et componente utrumque, transeat; et ad hoc nunquam relinquitur in nobis potentia; impossibilitate antecedenti, et non componente utrumque, sed habente possibilitatem super utrumque divisive, nego; et ad hoc manet potentia, etiam post determinationem. Quæ omnia explicata sunt in citatis locis ex libris physicorum, et de anima, et in secundo tomo, tertia parte, disputatione quinta.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XLII. Contra hanc ultimam conclusionem possent objici omnia illa argumenta, quæ fieri solent contra physicam prædeterminationem, et motionem impressam a Deo voluntati, illamque impugnant, aut quia tollit libertatem; aut quia superflua est; et sine illa potest æque bene determinari voluntas, aut sola determinatione objectiva, et morali cum prævisione futuri consensus orti ab ipsa voluntate, quod prævidetur per scientiam mediam, aut solo decreto efficaci Dei, quod sine aliqua impressione, et mutatione voluntatis potest ipsam determinare, et movere per solam sympathiam.

XLIII. Sed supersedemus ab istis, ne vel leviter in disputationem trahamus, quod apostolicæ sedis edicto cavetur imprimi, cum de divinis auxiliis tractatur. Quæ vero in hac materia desiderari poterant, prout tangunt naturalem facultatem voluntatis, quomodo ex impressione, et motione Dei non impediatur li-